

Sic etiam in deglutitione, radicis linguæ elevatione, & oris compressione, cibus vel potus in fauces deturbatur, larinx à musculis suis & epiglottide clauditur, elevatur & aperitur summitas gulæ à musculis suis, (haud aliter quam faccus ad implendum attollitur, & ad recipiendum dilatatur) & cibum, vel potum acceptum transversis musculis deprimit, & longioribus attrahit: & tamen omnes isti motus, à diversis & contradistinctis organis facti, cum harmoniâ & ordine dum fiunt, unum efficere motum videntur, & actionem unam, quam deglutitionem vocamus. Sic contingit planè in motione & actione cordis; quæ deglutitio quædam est, & transfusio sanguinis è venis in arterias.

Si quis (dum hæc habuerit in animo) cordis motum diligenter in vivâ dissectione animadverterit, videbit non solum, quod dixi, cor sese erigere,